

rel, cum Virgine certamen inire. Unde arbitrator, non unum daemoneum tantum, sed plures Virgineum tentare aggressos, semperque ignominiose devictos fugam arripuisse, et ad eam tentandam minime ausos fuisse redire. Certe voluntas peccato credit, et tentationi succumbit, non aliter quam per malitiam, ignorantiam, vel humanam fragilitatem, ut cum divo Thoma (1. 2.) omnes theologi fateantur. Iudas peccavit ex malitia, tradens sanguinem eius, quem sciebat iustum, et innocentem. Paulus peccavit Ecclesiam Christi infestans, sed ex ignorantia: *Ignorans feci*, ait ipse (1. Tim. 1). Petrus autem ex fragilitate humana, timore mortis perleritius peccavit, Christum Dominum abnegans. At beata Virgo ex plenitudine illa gratiae, ob quam ei angelus dixit: *Aee gratia plena*, impecabilis facia erat ad omnia illa peccatorum genera, ut expressis verbis docuit divus Augustinus (lib. de nat. et grat.) dicens: *Scimus, quod plus gratiae affuit collatum ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere, et parere meruit illum, quem constat nullum habuisse peccatum*. Si ergo vicit ex omni parte peccatum, vicit proculdubio ex parte infirmitatis, quia turris erat fortissima David, ex qua mille clypei pendebant. Vicit ex parte ignorantiae, cum mater esset agnitionis, immo mater ipsius sapientiae, in qua inerat gratia omnis viae, et veritatis. Vicit ex parte malitiae, quia prae magnitudine divini amoris omnem malitiam extinguens, languebat (Cant. 2): *Dicite dilecto, quia amore languet*. Ac tandem non poterat non ex omni parte vincere omne genus peccati, cum adversus fragilitatem praemunita esset potentia, et fortitudine Patris: adversus ignorantiam, sapientia Filii: adversus malitiam, bonitate Spiritus sancti illam perpetuo inhabitantis; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

Metaphoram palmarum multiplici eruptione, variisque animi conceptionibus elucubrante conamur, in illa verba: Quasi palma exaltata sum in Cades.

Iussit Deus olim, ut ad ornatum templi omnes pro facultate sua aliquid imperirentur: ditiores aurum, et argentum: alii purpuram, et coccum bis tinctorum: alii tandem pauperiores pilos caprarum, aut pelles arietum offerbant. Ego sane, tanquam pauper, ad ornatum sacratissimae Virginis, quae templum semper fuit Spiritus sancti, elsi animus grandia offerendi non desit, quia tamen facultas non suppetit, palmam nam et solum offeram, verba illa Ecclesiastici (cap. 24) discutiens: *Quasi palma exaltata sum in Cades*, hoc est, in assumptione mea, quia Cades interpretatur *translatio*. Quis autem non videat, Deiparae assumptionem nihil aliud fuisse, quam translationem quandam eiusdem ex hac militanti ad caelestem, et trium-

phantem Ecclesiam? Porro inter multas, quae hystoriographi rerum naturalium de palma commemorant, illud celebratissimum semper fuit, quod insigne victoriae est, et trophaei. Unde olim, ut adnotat d. Isidorus (lib. 17. *Ethymol.*), et Lyranus (sup. cap. 15. *Deuter.*), victores in praefatis ramis palmae in capite, et manibus orbabantur, quare (Apoc. 7) divus Ioannes ait, se vidisse martyres victoriam de tyrannide reportantes, manibus palmas gestare: *Et palmae in manibus eorum*; immo habenti iustam causam dabatur palma in manu, quasi victoriam iam habuisset in ea, ut idem Lyranus adnotat ibidem. Unde (Deuter. 25) dicitur: *Quem iustum conspexerint, illi iustitiae palmam dabant*. Plinius autem (libro 16. de naturali historia cap. 25), non solum ait, palmas triumphi, et victoriae symbolum fuisse, sed et praesigium. In cuius probationem refert, palmam natam in basi Caecaris dictatoris ante bella civilia, quae gessit, futurae eius victoriae, et trophaei prognosticum extitisse. Hinc etiam (lib. 1. lib. 12. C. de Princ. argen.), ponitur palma pro victoria, et sine laborum. Fundamentum autem huius symbolicae acceptionis arbitrator fuisse duplex. Primum, quia palma ea est praedita fortitudine, ut quantumcumque magnam ponderis molem ligno eius superponas, nunquam flectatur, nec dorsum cedat a pondera victum, ut tradit Berchorius (lib. 12. *reduc. moral.* cap. 112). Secundum fundamentum est, quia folia palmae formam gladii praeserunt, et rami illius, ut ingeniose observavit Henricus Schualem (in suis aphor. hierogl. lib. 18), figuram manus; fructus vero, nempe dactyli, figuram digitorum portendunt: unde et dactyli dactyli sunt appellati. Ecclesiasticus ergo alludens ad haec omnia, ut significaret insignem victoriam, quam beata Virgo adversus omnes suos hostes retulit, comparavit eam palmae arbori victrici dicens (Ecl. 24): *Sicut palma exaltata sum in Cades*. Inter omnes autem Virginis victorias illa celebris est valde, quam adversus omnes haereses tulit, Ecclesia catholica acclamante: *Gaude Maria Virgo, cunctas haereses sola intervenisti in universo mundo*. Sola, inquam, quia sola peperisti illum, qui contribulavit capita draconum in aquis. Sola post filium tanti est apud Deum meriti, et gratiae, atque in omnes misericordiae, ut per hanc vellet, per hanc posset haereses expugnare. Triumphavit altera Maria de Pharaone, Iahel de Sisara, Iudith de Holoferne, Hester de Aman, suis et patriae hostibus peremptis. Tu sola inter omnes emines, et una tot haereses ante triumphalem currum ducis. Haereses omnes interemisti, cum angelo credidisti: cum Christum Deum, et hominem peperisti: cum ad crucem filii tui gemebunda stetisti, ac sola constantium in eum fidem, fugientibus Apostolis, retinisti. Magna quidem haec, et memorabilis victoria, quae soli Mariae divina gratia concessa est. Sed non haec sola ratione haeresum victrix, et expultrix est: nam haereses quoque omnes interemisti, cum Evangelium dilatavit, hoc est, cum conceptionis, parturitionis, pueritiae Christi gesta panxit. Quid cum sancto Iacobo Apostolo

in Hispaniis apparuit, et in rebus dubiis quid agendum admonuit? nonne quantum ab ea Apostolus evangelizans confortatus, tantum haereses omnes tum emergentes sunt labefactatae? Quid cum Apostolorum plerisque ad mortem, et apotheosin suam mirabiliter convocavit? nonne tum quoque fidem stabilivit, ut haereses omnes contereantur? nonne haereses expugnavit, cum Gregorio Taumaturgo catholicae fidei formulam praescripsit? quando Cyrillum patriarcham Hierosolymitanum ad pacem, et concordiam cum d. Chrysostomo reduxit? Quin nulla quoque fuit aetas hominum, qua exortis novis haeresibus, Maria non aut beneficiis pios in fide vera conservavit, aut celestis virtute contra pestes eas dimicavit, aut incredibili vindicta contumaces muletavit? Nonne de haeresi triumphum egit, quando Iulianum Apostatam, et tyrannum haereses omnes callide in perniciem Christianorum foventem, concilius iussit occidi, et sanguinem vomere, quem iugurgetur? Nonne haereses extirpavit, cum duci suo Narseli consulit, et adiutrix victoriae semper in bellis contra Arianos adfuit? Quid quod ipsa etiam tantae Virginis imago in bellis contra impios, magna cum pompa, et maiore cum fide traducta, hostes stravit, atque devexit? Quid plura? nonne haereses interemit, quando Nestorius patria extorris, linguam verbum corrodentibus, vivus in terra ob convicia in Mariam effusa, haustus, et miserabiliter assumptus est? Nonne prostratae sunt haereses, dum Copronymus, et ipse, Mariae, eiusque imaginum hostis acerrimus, febre aestuat, et elephantiasi putrescit, ac vix demum tantis malis doctus, palinodiam canit? Mariam, ultricem scelerum agnoscit, et honores eidem restitui iubet? nonne et ante hunc in Leone Isaurico haereticam impietatem severissime, et acerbissime ulla est? nonne haereses occubuerunt, cum simili ultione, ut impietatis, sic imperii successores, Leo Quartus, et Quintus, Michael Balbus, Theophylus, et eius filii perierunt? nonne haereses interemit Maria, quando eos, qui nomini Mariano in ludu blasphemie insultabant, tetri daemones arripuerunt, afflictaerunt, occiderunt? nonne haereses caedit, cum in eorum fautores severiter animadvertit? Dicit hospes ille qui, quod blasphemus in domo suo tolerat, Mariam sibi membra vimine notare somniat, et vixiles dissecta reperit, seroque Mariam vindicem scelerum publice praedicat. Haereses quoque in iis mulieribus peremit, quarum altera Mariae nomen, et auxilium repudians, scropham pro infante perfendit: altera per frusta foetum membratim effundens abortivit. Atque propter haec, et similia alia Virginis trophaea, propter haec, et quae praecedenti libro commemoravi. Ad haec notavit divus Gregorius (in suis mor.), palmam inferius esse angustam, superius vero expandam, et latam, quod mihi non obscure significat, plusquam angelicam fuisse vitam Deipa-

rae cunctam: elsi enim in carne viveret, adeo ad appetendum terrena angustam se exhibuit, ut habens victum, et vestitum, ut honestam virginem decebat, his contenta esset, iuxta illud divi Pauli (1. Tim. 6): *Habentes victum, et vestitum, his contenti sumus*. Secundum vero portionem superiorem animae tam late sinus aperiebat ad divina charismata recipienda, quantum charitas super omnes copiosius diffusa erat in corde eius. Accedit, quod sicut palma in inferiori parte aspera est, aculeos et cuspidem portendens, in superiori vero parte pulchritudinem foliorum, et fructus suaviter ostentat, ut quidam poetarum eleganter ce-

Quae licet angusto stet robore, et aspera mesco
Corticis horridi sit parte sub inferiori:
Cum tamen ad liquidum se subrigit aera pri-
(morum)
Robur multiplicans, foliis fractaque redundas:
Arboribus reliquis, quae dilatantur in imis,
Et facie praestat; signa et victicia gestat.

Non dissimiliter, tametsi beata Virgo permultos doloris aculeos sustinere, adeo ut Simeon ei diceret (Luc. 2): *Uvam ipsius animam pertransibit gladius*; coelesti tamen consolatione copiose adeo abundavit, ut melius, quam Paulus (2. Cor. 7) dicere potuisset: *Repleta sum consolatione, superabundo gaudio*: id quod non obscure indicant verba ipsius, cum dixit: *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*, vel, ut alii vertunt, in Deo Iesu meo.

Proculus, et Lucius Auleus de palma disserentes, tradunt hanc arborem esse solarem, quia multum in ea sol dominatur, et tandem eam conservat, ut quidam ipsius solis incorruptibilitatem participare merito censetur. Ob hanc etiam rationem Deipara cum palma comparatur, in qua Sol insititiae Christus Dominus adeo praedominabatur, ut non contentus in illa per gratiam inhabitare, intra viceris eius per novem menses requieverit, iuxta illud (Ecl. 24): *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*. Ex quo factum est, ut b. Virgo quidam ipsius Solis iustitiae incorruptibilitatem ab eo mutuaverit, cum concipiens, et pariens, immarcescibilem virginitalis vigorem perpetuo conservaret; adeoque ab omni libidinis aestu, virorem illum quoquo modo exsicante, aliena fuerit, ut nullus unquam in eam inordinatus affectus irrepere, ut quodammodo impugnarit. Quam prodigiosam novitatem praeviens in spiritu regius Propheta dixit (Psal. 45): *Venite, et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terrae*. Non me latet divum Augustinum, Hieronimum, Cassiodorum, et glossam interlinearum velle per hanc terram intelligi universum orbem, qui tempore nativitatis Christi Domini summa pace gaudebat, in cuius signum portae templi iam clausae fuere. Tamen, ut in eundem locum adnotat divus Basilus, non adeo portentosa erant haec prodigia, cum aliis retro temporibus eadem non semel via fuissent, ut affirmat Titus Livius, et Paulus Orosius. Quare Richardi de sancto Victore in-

terpretationi acquiescens per hanc terram opinor, Davidem inllexisse beatam Virginem, de qua alibi dixerat (Psalm. 84): *Terra nostra dabit fructum suum. Quae verba adeo proprie in Virginem conveniunt, ut nulli alteri adaptari queant: nam si de terra materiali sermo sit, haec si quem fructum dat suum, fructus maledictionis est, divino oraculo praedicente (Gen. 5): Spinas, et tribulos germinabit tibi. Virgo autem fructum dedit benedictionis, iuxta verba Elisabeth (Luc. 2): Benedictus fructus ventris tui. Si vero loquamur de terra humana, hoc est, de omni matre filium producente: certe ille non est tam fructus suus, quam fructus patris, ex cuius virili semine, ipsa passiva solum concurrente, ut docet divus Thomas (3. par.), illum produxit. Virgo autem Deipara ex solis propriis sanguinibus absque ullo virili semine. Spiritu sancto cooperante, fructum edidit proprie suum, cum humani patris virtus ad eius productionem non concurreret. Ab hac igitur virginea terra affirmat propheta longe propulsandum bellum illud d. Pauli (Galat. 5): *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem.* Id enim sibi voluit praedicere eius verba (Psalm. 45): *Auferens bella usque ad finem terrae.* Sed quae, in quoniam consistit ratio huius tanti prodigii, ut ad illud intendam David totum invitet orbem? Venite, et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram: in eo sitam esse reor, quod cum alioquin b. Virgo terra esset, immo vis evasit ab omni bello, Iob alioquin dicens (c. 7): *Militia est vita hominis super terram:* etenim, ut Cicero eloquentiae Paler commemorat (lib. 2. de nat. Deor.), Antiqui fugebant, quod Tytales legitimi terrae filii, cum primum ex eius visceribus prodire, confestim arma sumpserat adversus Saturnum, quem coeli Deum commentabantur: a quo fulminibus coelitus missis dissipati, et interempti fuerunt, ut refert Virgilius sexto Aeneidos, duplicique hoc carmine exposuit Servius:*

Hic genus antiquum terra Tyfaonia pubes
Fulmine detecti, fundo volvuntur in limo.

Cum ergo beata Virgo terrae filia, hoc est, ex simili terrestri, et humana carne, quemadmodum reliqui omnes, compacta esset, inauditum portentum, ac stupendum prodigium est, ut nullus unquam terrestri affectus mentem eius pulsaverit, et nullo minus debellaverit. Ut autem significaret Prophecia id non fuisse ad tempus, sed in perpetuum per totam vitae curriculum, internam hanc pacem inter carnem, et spiritum eius perdurasse, consulto postquam dixerat, *auferens bella,* continuo subiunxit, *usque ad finem terrae,* hoc est usque ad mortem, quae ultimam vitae lineam apponit, ut ait Ovidius:

Et mors, ultima linea vitae.

Doibus nempe terminis clauditur humana vita, conceptione scilicet, et morte; et in utroque Maria summa pace gavisa fuit; cum in primo a peccati originalis plasmam eruento bello, et in morte ab omni daemone infestatione li-

bera omnino fuerit. Ad quos terminos respiciens David alibi (Psalm. 147) dixit: *Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te.*

Ad haec Aristoteles, et Plinius, ac ceterorum naturalium hystoriographi de palma agentes tradunt, inter palmas dari masculum, et foeminam: inter quas illud observatum est discrimen, quod masculus citius floret, foemina vero tardius. Non dissimiliter in supernaturali rerum ordine, duplex adest palma, Christus, et Maria. David Christum *palmam* appellat: *Iustus, ut palma florebit (Psalm. 141).* Maria etiam *palmam* se vocat (Eccles. 24): *Sicut palma exaltata sunt in Cades.* Illud autem inter utrumque interest discriminis, quod Christus multo ante quam mater eius, ad vitam immortalem resurgens, citius illa floruit, ut ipse testatur (Psalm. 17): *Et refovit caro mea.* Beata autem Virgo multos post annos moriens, et gloriosa resurgens misericiter refovit. Addunt insuper fidem doctores, et cuius et meminit Bercherius (l. 12. reduct. mor. cap. 10 et 12), quod licet palma altissimo crescat plasmam reliquae arbores, nunquam tamen cedri altitudinem, et sublimitatem attingit. Non dissimiliter, licet mystica haec palma, beatis, scilicet Virgo, adeo in sublime fuerit evecta, ut omnium hominum, et angelorum celsitudinem gloriae, longo intervallo transcendat; ad sublimitatem tamen gloriae Christi Domini per eedrum apte significati, tam propter altitudinem, quam innatam suam incorruptibilitatem, minime unquam attingit, quia Christus Dominus tam in triumphanti, quam in militanti Ecclesia caput est huius mystici corporis, Apostolo dicens (Ephes. 5): *Ipsam posuit caput super omnem Ecclesiam.* Constat autem, caput inter reliqua omnia membra primum, et sublimiorem locum tenere; verum tamen est, quod sicut, excepto capite, nullum membrum elevatus est collo: et sicut, excepto cedro, nulla arbor altius, quam palma protenditur; ita praeter Christum Dominum, nulla unquam creatura in coelesti patria sublimius fuit exaltata, nec pretiosiora gloriae pignora, quam beata Virgo, suscepit. Unde sicut sol in claritate lunam excedit, et luna cunctas stellas, immo stella stellarum excedit; ita gloria Christi Solis iustitiae gloriam Mariae coelestis lunae, et gloria huius gloriam stellarum, hoc est, reliquorum sanctorum, longo intervallo excedit, ut satis lumen dicit Apostolus (1. Corint. 15): *Alta claritas solis, et alta claritas stellarum: stella enim a stella differit in claritate, sic et resurrectio mortuorum.* Ut tamen sublimitatem Mariae gloriae melius percipatis, sciendum est, Iustinianum imperatorem (Instit. de Iust. et Iur. §. Iustitia), in hunc modum iustitiam definiisse: *Iustitia est constans, et perpetua voluntas, ius suum unicuique tribuens.* In cuius commentario glossa ibidem scite adnotavit, hanc definitionem nemini alteri aptius convenire posse, quam Dei iustitiae, cuius sola voluntas a deo constans, perpetua, et irrefragabilis est in praemiis conferendis iuxta mensuram meritorum, ut nulla ratione in adversum mutari queat (Malach. 3): *Ego enim Dominus, et non mutator.* Nec mirum, nam si Deus, tanquam au-

ctor naturae in rerum creatione singulis creaturis, iuxta propria cuiusque naturae merita, locum aptum, inferiorem, vel elevatiorem contulit: terrae et aquae gravioribus, et imperfeclioribus elementis inferiorem tributum solum: aeri et igni, quae subtiliora, et perfectiora sunt sublimiorem: ac tandem angelis, qui reliquis creaturis propriae naturae perfectione praestabant, sublimissimum omnium empyrei coeli locum statuit. Unde, ubi vulgata nostra translulit; *In principio creavit Deus coelum, et terram, originale hebraeum, necnon Paraphrases chaldaeus legunt: Elohim septem iudices creavit coelum, et terram.* Quo locationis genere duo singularia mysteria indicantur. Primum, unitas naturae divinae cum Trinitate personarum. Unitas innuitur in verbo illo *creavit*; Trinitas vero in voce illa *Iudices* de plurali, secundum quod Deus, instar iudicis, cuius munus proprium est, unicuique tribuere secundum eius merita; ipse quidem qualitates, et loca singulis rebus a se creatis iuxta naturalem cuiusque exigentiam acquisivisse donavit. Si igitur Deus, tanquam auctor naturae, iustitiae distributivae sollicitum custodem se ostendit, dubium non est, quin, ut auctor gratiae, eandem in remunerandis bonis operibus cumulatus observavit. Quamobrem huius veritatis imposita Apostolus confidenter dicebat (2. Tim. 4): *Reposita est mihi corona iustitiae.* In universum tamen de omnibus hanc generalem regulam nobis tradit (1. Cor. 3): *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum proprium laborem.* Ad quod alludentes veteres illi poetae, Pindaro id referente, inserunt laborem conquestum fuisse Iovi, quod cum reliquis praestaret filios, et successores, ipse tamen sterilis, et infocundus absque liberis nauerat. Tunc Iupiter, habito concilio cum reliquis Diis, decrevit ex omnium illorum consensu, ut labori pro filio gloria assignaretur. Unde Pindarus ibidem ait: *natus laboris gloria.* Felix sane successio, illustris partus laboris. Voluptas quidem, et mundi prosperitas, ac vanus saeculi honor non alios gignunt filios, non alios parliuntur foetus quam dolorem, anxietatem, et varias alias miseras: *Extrema gaudii luctus occupat.* Labor vero christianus, vitae scilicet asperitas, ieiunium, proluxa oratio, et continua interioris, et exterioris hominis mortificatio, non alios parit filios, quam divina charismata, gratiam scilicet, et gloriam: *Natus laboris gloria.* Cum igitur labor Virginis, et merita illius, omnium sanctorum labores, et quaecumque merita longe excelluerint, consequens est, praemium eius, iuxta divinam iustitiae leges, omnium sanctorum praemia longa intercapidine superare. Inter pleaque tamen, quem in Virgine singulari praemio digna fuerunt, laborem, quem in infantia Christi sustinuit, et cibum lactis, quo ubere de coelo pleno, tenellum infantem festum aluit, et nutritivum, minime postremum locum tenere conseo; quia potius existimo, quod sicut, ut olim poetae commenti sunt, id referente Lactantio (lib. 1. de Iust. Institut. cap. 22), et Diodoro (lib. 4. cap. 5), Iupiter tanti fecit laborem suae nutriticis Amaltheae, cuius edu-

cationi traditus fuerat, necnon cibum, et potum lactis, quo se infantulum aluit, ut in suae gratitudinis argumentum pro lacte sibi a nutritice propinaciam ei praeberet, figuram mammellae referentem, quae omnis boni liquoris ad nutum illius ita copiose scaturiebat, ut cum divitiis desiderabat, continuo ille abundanter suppetere: si voluptates, et delicias, confestim emanabat: si honorem, et gloriam, ad nutum quam cunctissime aderant. Equidem, si Nicetae (in cap. 42) fidem adhibemus, assentienti fabulam hanc in hieroglyphicum adinventam fuisse, felices et optimi, et status, quem parit pietas, et cultus divinus, ut non obscure indicant verba Davidis (Psalm. 33): *Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus etc.* satis superque praesenti argumento poetarum illud figmentum quadrat: nam si Iupiter Dens falsus ita gratum se suae nutriticis exhibuit, ut cornucopiam, omnia bona continentem, ei dono porrigeret; quanto gratiorem censuimus se ostendisse Christum Dominum Deum verum ergo genitricem suam? quae non solum uberum suorum lacte, instar nutriticis, cum cibavit, sed ex proprio sanguine intacta manens virgo eundem, Spiritu sancto cooperante, intra viscera sua concepit. Certe non ero insipiens si dicam singularem, et omnium collectivum honorem, quae beatis omnibus Deus imperit, cornucopiam matris suae, tanquam gratissimum filium, manifestant, quam Iovem tribuisse. Ne autem quiescam mihi improperet, humili fabella ingentem Virginitatis gloriam frustra illustrare conatum, observet quosdam, latentem prophetiam in ea contineri. Nam Iob tertiae filiae ex novem quae genuit, hoc nomen indidit, *Cornustibia*: sic enim ait: *Nomen tertiae Cornustibia*: ubi Septuaginta translulerunt: *nomen tertiae cornu Amaltheae*: ad quam versionem attendens doctissimus Nicetas docet, consuevisse non semel prophetas ad fabulas quasdam sapienter alludentes, falsitatis earum veneno longe propulsatos, quod utile est, ad veritatem explicandam, prophetis suis oraculis admiscere. Unde ut Iob explicaret varia venustatis, ac pulchritudinis ornamenta, quibus super reliquas filias, alioquin perpulchras adeo, ut sacer textus dicit (Iob 42): *Non sunt inventae multae speciosae, sicut filiae Iob in universa terra,* tertia eius filia praefuleret, consulto ei apposuit hoc nomen, *Cornustibia*, vel ut alii vertunt: *Cornu Amaltheae.* His addo, quod si eximiam Dei liberalitatem contemplerimus, quia alioquin parva obsequia magnis muneribus persolvere solet, adeo ut potum aquae frigidae porrigeni vitam aeternam promittat; fieri nequit, quin genitricem suam, quae per plucum triginta annos, sedula diligentia ab inquinabilis praesepit usque ad lectum crucis ei ministravit, magnis gloriae muneribus super omnes beatos cumulaverit. Memini quod huius argumenti inservire potest, Plutarchum in vita Alexandri de eo commemorare, quod cum ille cuidam sacrificio interesset, et minister ab eo postularet incensum, quod tunc, propter eius penuriam, in magno pretio habebatur, ipso utraque manu magnam incensum quantitatem in

incensarium mittente, de prodigalitate vitio reprehensus fuit a Leouide eius praeceptore; tacuit tamen tunc Alexander, at cum regiones expugnauit incensi feracissimas, integram nauem ex hac specie aromatica plenam ad Leonidem magistrum suum misit, dicens: *Nefas esse hominem erga Deum auarum se gere-re, sed liberalem*. Ecce pro uno incensi pugil-lo, quod ipse in sacrificio obtuleram, integras regiones incenso sacrandissimas ab eo accepi. Cum ergo hoc sit Dei ingenium, haec insita munificentia, ut plusquam centum pro uno persolvat, iuxta illud (Matth. 19): *Centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit*; fieri non potest, quin cum beata Virgo gratissima Christo obsequia exhibuerit, ipse munificentissime prae omnibus aliis illam remuneraret. Praedixit regius Yates non obscure sublimitatem huius praemii, cum fatetur adeo Christum Dominum matrem suam exaltasse, ut non contentus supra omnes coelestium mentium sedes illam euehere ad dexteram suam eam collo-carit (Psal. 44): *Astitit regina a dextris tuis in vestitu daurato, circumdata varietate*. Septuaginta legunt: *circumdata, seu varicata*. Interpres chaldaeus: *In vestibus dicesarum figurarum*. Aquila: *in tinctura Ophyr*. Theodotio: *In diademate auro de Saphir*. Symmachus: *in auro primo*. Originale hebraeum: *In vestibus auro ocellatis indumentum eius*. Duae tamen versiones, praeter has omnes commemoratas, mihi valde arident. Prima habet fundamentum in voce illa hebraea: *Lycamoth*, quae, ut periti linguae sanctae adnotant, interpretatur, *in vacuatis*. Sed bone Deus, si angelus Gabriel beatam Virginem vocat *plena*, dicens: *Acc gratia plena*; quomodo propheta David vocat illam *vacuam*? *In vacuatis*: longe namque inter se dissident plentudo, et vacuitas. Sed nulla sane contradictio est inter verba angeli, et prophetae; nam ille Virginis animam contemplant, *gratia plenam* illam vocavit; is vero ad humilem eius cogitationem respiciens, qua se ancillam nuncupavit, cum aliquo ad maternitatem Dei se destinata agnovisset: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, vacuam illam nominavit. In vacuatis*. Equidem cum cogitatio nostra inter medios honores vacua est omni elatione, tunc divina gratia plenior incipit esse anima, et a Deo magis exaltari, si cuti contigit Sauli, cui dixit Dominus (1. Reg. 15): *Cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es*. Quia igitur beata Virgo ascendit in coelum plena vacuitatibus, hoc est variis humilitatis actibus insignita, variis etiam exaltationibus, et honoribus fuit super omnes divinitus plena. Secunda versio, quae mihi non minus placet, est d. Hieron. qui vertit: *Astitit regina a dextris tuis in scutulatis*, cuius generis vestimentorum meminit (Ezech. 27): *Propter multitudinem operum tuorum, gemmam, et purpuram, et scutulata; nec non et Iuvenalis*:

Caerula indutus scutulata, et galbana rasa.

Plinius etiam eiusdem mentionem facit (lib. 8)

cum dicit: *Ubi de textrina plurimis leicis texere, quae polymita appellant, Alexandria instituit, scutulis Gallia dividere*. Quid autem esset haec scutula vestis, non est una omnium sententia: nam idem Plinius (lib. 8) existimat, scutula esse intertexta in ipsa tela, quibus maiorum suorum egregia gesta exprimebantur: sic enim ait: *Quam sola ars scutulato textu commendat*. Varro autem, cuius opinionio consentio, ait: *Scutulata vestis dicta est, quasi sit veluti scutulis quibusdam distincta*. In illis autem scutulis, quae aerea erant, celabantur stemmata propria cuiusque, vel similia alia, quae ad commendationem personae, quae illa utebatur, spectabant. His sic praelibatis, duo praecipue observo in praedictis verbis Davidis, primum ad gloriam Virginis, secundum ad nostram utilitatem spectans. Cum enim ait: *Astitit regina a dextris tuis*, celstidinum gloriae illius aperte demonstrat: sicut enim in eo valde ostentatur Christi Domini gloria, quod ad dexteram Patris sedeat, ut Lucas ait (cap. 17): *Assumptus est in caelum, et sedet a dextris Dei*: et s. Stephanus (Act. 7): *Ecce video caelos apertos, et filium hominis stantem a dextris Dei*; sic in eo excellentia gloriae Virginis mirum in modum effulget, quod a dextris illi sedeat: *Astitit regina a dextris tuis*; hoc est, postioribus bonis, quae in patria divina munificentia largitur, cumulatissima regnat. In sequentibus vero verbis: *In scutulatis*, nostrum omnium utilitas tangitur, dum non obscure nobis indicatur, beatam Virginem variis sculis praemunitam ad nos protegendos, et ab hostium incurisibus viriliter tuendos. Ad haec scula respiciebat sine dubio Sponsus, cum de beata Virgine dilectissima eius sponsa, ut interpretatur Haygrinus, dixit (Cant. 4): *Mille clypei pendunt ex ea, omnis armatura fortium*. Finxerunt antiqui poetae Briareum centum brachiis, ac centum manibus armatum, quibus eodem tempore, quinquaginta scula, quinquaginta manibus apprehendentem, hostium telis se protegabat, et illos offendeat. Sed certe, ut alio lendens dixit Ambrosius (lib. 1. de Abraham. c. 2): *Mimus est, quod illa finxit, quam quod ista gessi, maiorque ambitio eloquentiae mendacio simplex veritatis fide*. Nam si mille clypeis armatae cernimus b. Virginem, hoc est, innumeris, ut interpretatur Cassiodorus; iam non manus centum, sed mille, sed innumeras ad nos protegendum habere, fatari compellimur. Ad id enim significandum, ut ad metaphoram palmae redeam, Spiritus sanctus ei dixit (Cant. 7): *Statuta tua assimilata est palmae*: quia sicut palma plena est foliis, quae formam ensis erepti portendant; ita b. Virgo undique circumdata est tam armis offensivis, quam defensivis in nostram protectionem, et defensionem. Unde ubi nostra vulgata legit: *mille clypei*, septuaginta vertunt: *omnia iacula potentium*. Pagninus: *omnes pharetrae fortium*. D. Gregorius Nyssenus: *omnes hastae fortium*; singularissime tamen divus Ambrosius (serm. 4. in Psalm. 118) transfert, *mille ostia*; quasi dicat: hoc est singularare in b. Virgine ad protegendum, quod aliae turres, et arces

unicum solum habere solent ostium, et levato ponte nullus restat ad illas ingressus; at b. Virgo mille ostiis circumdata est, quibus ad nostram defensionem patet aditus. Originale tandem hebraeum, cuius lectionem nulli sequuntur, legit: *Aedificata ad docendum transseantes, vel, ut alii explicant, instructa ad discipulos*. Exempla namque heroica virtutum, quae sacra Virgo nobis exhibet, arma quaedam fortissima sunt, quibus ad expugnandos hostes muoimur pariter, et instruimur. Cum enim turbatur ad loquelam angeli in forma viri ei apparentis, verecundiam virginis docet: *turbata est in sermone eius*. Cum ait, *Virum non cognosco*, libidinem nostram comprimit, et castitatem edocet. Cum ait: *Ecce ancilla Domini*, superbiam nostram relundit, et de humilitate nos instruit. Cum ait: *Pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te*, dolorem, et poenitentiam ob amissam Christi gratiam nos commonet. Cum ait: *Fili, vinum non habent, ad charitatem, et misericordiam in sublevandis proximorum penurios nos hortatur*. Cum canit: *Magnificat anima mea Dominum, ad gratitudinem erga Deum ob beneficia nobis collata nos impellit, et ingratitude nostram damnat*. Ac tandem, cum patienter cruci assistebat: *Stabat iuxta crucem Iesu, ad laborum tolerantiam nos excitat*. Recte ergo originale hebraeum legit: *Aedificata ad docendum transseantes*. Unde illa est Mariana vox omni acceptione digna (Proverb. 8): *O viri ad vos clamito, et vox mea ad filios hominum: accipite disciplinam meam, et non pecuniam: doctrinam magis quam aurum eligite*. Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis. Timor Domini odit malum, arrogantiam, et superbiam, et viam praecam, et os bilique detestor. *In vis iustitiae ambulo, in medio semitarum iudicii, ut dicit diligentes me, et thesauros eorum replam*. Haec sane sunt scula, quibus b. Virgo nos protegit, et Christo filio suo nos conciliat; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA IX.

De magnitudine gloriae essentialis, qua beatissimae Deiparae sublimia merita fuerunt ex iustitia remunerata, in illa verba: Iustitia plena est dextera tua.

Non aliter de praeeccellenti Virginis gloria orationem auspicabor, quam melliflui Bernardi dulcia verba mihi usurpans, qui (serm. 4. de assumpt.) ita exorditur: *Tempus loquendi est omni carni, cum assumitur incarnati Verbi Mater in coelum; nec cessare debet a laudibus humana mortalitas, cum hominis sola natura supra immortales spiritus exaltatur in virgine*. Sed de eius gloria nec silere devotio potuit, nec dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, aut fuerunda potest locutio parturire. Eandem gloriae Deiparae magnitudinem contemplantur d. Anselmus (de excell. Virg. cap. 8) ita loquitur:

Immensitatem gratiae, gloriae, et felicitatis tuae considerare cupienti, o Virgo, sensus deficit, et lingua fatiscit. Sane cum hos tanti nominis Patres pertimescere videam ingredi vastissimum aere Marianae gloriae mare, non possum ipse pusillus huius maris navigationi vela laxans ingenti timore non concuti. Verum Dei Genitricis auspice, spero absque procella hoc pelagus pervadere, ad quod ingrediendum utar hoc artificio. Sicut enim qui radios solis in ipso non ferunt sole, in speculo vel aqua limpida inspicunt: sic ego, quod in tam neque gloriosa, hoc in ipsis quae supernat aquis, aliorum inquam gloria conador intueri; et cum facultas desit, istud ipsum eloquendi sequar calculatorem morem, qui summam ingentes aere contrahunt brevior. Faciam quod solent sigillorum sculptores, qui res vastitate maximas perexiguo gemmulae orbiculo repraesentant. Sic ego nunc signabo lineamenta tantae gloriae; subducam solummodo brevem summam.

Inter alia pleraque Dei praerogativa, quibus regius Vales divinum maiestatem exallat, illud singularare est (Psal. 47): *Iustitia plena est dextera tua*. Arbitror, quod cum divina iustitia, non solum in punitione malorum, sed in remuneratione etiam bonorum mirifice effulgeat, de hac locutum fuisse Davidem: quia iustitia, quae punitionem Dei respicit, ad sinistram eius spectat, ad quam mali in die Iudicii constituti sunt, ut ait d. Mathaeus (cap. 25): *Statuet haedos a sinistris*. Iustitia vero remunerationem concernens, ad dexteram Dei pertinet, in qua boni in extremo illo iudicio sunt collocandi, iuxta illud (ibid.): *Statuet oves a dextris suis*. Hanc iustitiam in bonis confendens, iuxta singulorum merita, videtur mihi Dominus a primordiis constitutionis mundi exercuisse: nam, ut alibi notavi, ubi vulgata vertit (Gen. 1): *In principio creavit Deus coelum, et terram*, originale hebraeum, et Paraphrastes chaldaicus legunt: *In principio creavit Helohym, idest, iudices, coelum, et terram*. Mirabile equidem est, quod sermonem institutus Moyses de Deo, quatenus universorum Creator extitit, inter pene infinita nominum genera, quibus cum cohonestare poterat, sola iudicis nomenclatura illum describat, quae ad rationem creationis, et munus Creatoris, quatenus talis, nihil facere videbatur. Quis quaeso non dicet, rationi consentaneum magis fuisse, si Moyses scripsisset sic: *In principio creavit Sadai*, hoc est, omnipotens; vel si dixisset: *In principio creavit El*, idest fortis, vel Helym, idest exelsus, vel Adonay, idest Dominus, vel Iehoa, idest fons, et scaturigo omnis entis? At divino spiritu afflatus Moyses, consulto usus est nomine, Heloyim, iudices significante: quia licet in opere creationis Deus opt. max. omnipotentiam suam ostentaverit, ex nihilo omnia creans, ut magna illa mater Machabaeorum dicebat (1. Mach. 7): *Peto a te nate, ut aspicias coelum, et terram, et ad omnia, quae in eis sunt, et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus*: licet ostenderit suam fortitudinem, attingens a fine usque ad finem fortiter, suaviterque disponens omnia: licet manifestaverit se

excelsum (Ecl. 43): *Vas admirabile, opus excelsi*: licet declaraverit se omnium Dominum (Ecl. 13): *Tu fecisti coelum, et terram, et quidquid coeli ambus continetur, Dominus universorum tu es*; merito tamen, ac sapienter valde nomen Iudicis, quod in fine mundi debuit esse, Deo in principio creationis eius tribuit ei Moyses: quia, ut recte adnotavit cardin. Caiet. (in c. 1. Genes.), per hoc significare voluit, Deum iustitiae distributivae adeo amatorem esse, ut omnibus, et singulis rebus a se creatis, gradus, perfectiones, qualitates, pondus, numerum, mensuram, locum, situm, ordinem, et alia similia iuxta exigentiam, et merita cuiusque naturae eis impertiret. Unde cum instituta, ut habetur Instil. de Instil. et Iur. §. Instituta, sit constans, et perpetua voluntas, ius suum unicuique tribuens, et Deus in creatione rerum unicuique illarum distribuerit perfectiones suae naturae debitas; apud salis Deum Creatorem iudicem compellavit, cuius proprium est, iustitiae legum custodem esse. Ceterum in distributione coelestium charismatum, et spiritualium bonorum, quae ad ordinem gratiae pertinent, multo excellentius divina distributiva iustitia praefulget. Etenim licet Deus mere gratis, et pro libero beneplacito suae voluntatis, quosdam praedestinaverit in apostolos, alios in martyres, alios in virginas, alios in doctores, alios in confessores, iuxta illud Apostoli (1. Cor. 12): *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, et deinde gratias curationum*; consequenter tamen, iuxta exigentiam singulorum statum, et munus eorum, spiritualia bona eis distribuit, ut idem Apostolus testatur ibidem dicens: *Divisiones gratiarum vero sunt; idem autem spiritus. Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae, aliter fides in eodem spiritu*. Unde d. Chrysostomus (hom. 6. super 2. ad Cor.) explicans illa verba eiusdem Apostoli: *Idoneos non fecit ministros, ait: Fecit, ut hoc praestare possemus, etique muneri gerendo effectorem accommodi. Etenim virginibus conferens puritatem, doctoribus sapientiam, martyribus fortitudinem, apostolis vin ad convertendas animas, et facultatem ad miracula perpetranda, accommodat eos reddidit muneribus, ut quae eos destinaverat. Verum et adhuc clarius emicat instituta Dei, distributiva propriis diela, in praemio gloriae, quo Deus secundam mensuram meritorum iustus remunerat, iuxta illud Pauli (2. Tim. 4): *Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus iustus iudex*. Haec autem corona tanto pretiosior erit, quanto uberiora fuerint coronandi merita. Quare idem d. Paulus (1. Cor. 15) dixit: *Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum: stella enim a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum*. Ego sane nomine solis iustitiae Solem Christum Dominum: nomine vero lunae, pulchram Mariam, ut lunam; ac tandem nomine stellarum, reliquos sanctos, qui instar stellarum firmamenti in coelesti patria emicant, non immerito intelligo. Unde sicut sol splendore, et claritate principatum tenet, deinde luna splendorem est cunctis stellis: ita post filium mater,*

gloriae magnitudine, reliquos sanctos praecellit, adeo ut quantum Dei Genitricem decebat, ad immensum illud gloriae Christi pelagus appropinquavit, ipsa dicente (Ecl. 24): *Ecce factus est mihi trames abundans, et fluxus meae appropinquavit ad mare*. Itaque quamvis solus Christi gloriae Virginis gloria nec excedat, nec aequalet, longe tamen superat singulorum beatorum, iam hominum, quam angelorum beatitudinem. Id tanquam fidei veritatem inrefragabilem Ecclesia catholica faletur, dum canit: *Exaltata est sancta Dei genitrix super choros angelorum ad coelestia regna*. Unde d. Anselmus (de excel. Virg. c. 4) inquit: *Tota christianitas novit, quae illam super omnes coelos exaltatam, et angelicis choris praelatam certissime credit*. Idipsum faletur d. Damascen. (orat. 1. de dorm. Deip.) dicens: *Omnes res creatas superat, omnibus dominatur operibus: super coelos coelorum extollitur incomparabiliter*. Idem luculenter adstruit s. Ephrem (or. de laudib. Virg.), dum haec scribit: *Sanctorum cherubim, seraphim, et nulla comparatione ceteris omnibus superioris exercitibus gloriosior, et d. Epiph. (in serm. de laud. Virg.) celsitudinem gloriae Deiparae contemplanis, in haec verba admirandus exclamat: Maria, solo Deo excepto, cunctis superior existis, natura formosior es ipsis cherubim, seraphim, et omni exercitu angelico: cui praedicandas coelestis, et terrena lingua minime sufficit, immo vero, nec angelorum: columna pura, sponsa individuae Trinitatis, et a Deo ipso in honore habita*.

Aecedunt his egregia verba eruditissimi cardinalis Casani (lib. 4), dum explicans illa verba: *Maria optimam partem elegit*, sic ait: *Si Maria Magdalena sedens secus pedes Iesu, ex auditu verborum eius, pervenit ad electionem optimi suo modo, scilicet ut Maria Magdalena; o quam excellenter tum elevata Virgo Maria super omnes coelos ad electionem optimi producta est, quae electa est mater Iesu, et Verbi, et lucis, et rationis, et veritatis. O quam alte super omnes visiones intellectuales ipsa unum illud invisibile videt, et quam sano palato unum fontem vitae gustavit, et gustat. Si David ad hoc elevatus est ut diceret: gustate, et videte quam suavis est Dominus, merito ipsa quanto altior omnibus prophetis, tanto perfectius videt, et vidit: gustat, et gustavit ipsum, apud quem est fons boni, qui solus est, hoc unum bonum, quod omnia appetunt. Elegit igitur ipsa hanc optimam partem, quae non auferetur ab ea*.

Horum omnium Patrum doctrina fundamentum habet in sacris Scripturis, in quibus, inter alias, quatuor praecipue mensuras reperimus, per quas beatorum gloriam metiri licet. Prima est humilitas: quanto enim quis magis se depresserit in hac vita, tanto sublimius extolletur in futura, iuxta illud (Luc. 18): *Omnis, qui se humiliat, exaltabitur*: ut enim dixit (Iob 22): *Quis humiliatus fuerit, erit in gloria, et qui inclinaverit oculos. Etenim humilitas est instar aquae fontis, quae quanto ex altiori loco descendit, tanto postea altius condescendit*. Cum ergo humillima Virgo in infimum omnium humilitatis abyssum se demiserit, ancillam se vocans, cum ad dignitatem matris

Dei ex divina revelatione praecognosceret fuisse evehctam, consequens fit, sublimius omnibus beatis in coelesti patria esse exaltatam. Secundum mensuram assignat divus Paulus (2. ad Cor. 1) dum ait: *Sicut loci passioem estis, ita et consolatio*: quod et antea praedixerat David (Psal. 93): *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam*. Est enim evidens argumentum, quod si in hac vita iuxta mensuram dolorum consolatur Deus amicos suos, abundantius multo id praestabit in futura. Cum ergo beata Virgo per totum vitae curriculum variis doloribus fuerit oppressa, maxime postquam concepti filium Dei: doluit enim saucium cor sponsi agnosces, quod videret illam praegnantem, et unde id esset, penitus ignoraret. Doluit saepe in infantia Iesu, dum illum vagientem, et euilantem audiebat, et frigore contremisere intuebatur. Doluit in circumcissione tenerum infantem sacrum cruorem effundentem. Doluit exilium Christi in Aegyptum, et immanem Innocentium caedem. Doluit absentiam triduam dilecti filii, cum duodecim esset annorum, ut ipsa dixit (Luc. 2): *Pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te*. Doluit gravissime propter acerbissimam charissimae prolis passionem, et mortem, iuxta vaticinium Simeonis (Luc. 2): *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Igitur si iuxta mensuram dolorum in coelesti patria consolatio futura est; non potest non ea, quae Virgini contigit, maxima omnium esse, cum maximus omnium fuerit eius dolor. Tertiam mensuram subministrant nobis verba d. Pauli (2. ad Corin. 9): *Qui parce seminavit, parce et metet*. Super quae verba d. Bernardus (serm. 9. in Psal. Qui habitat) ait: *Prudenter, dilectissimi, et utiliter elegistis propter verba laborum eius, custodire vias duras illic seminantis, ubi nec minima quidem portio seminatis, non quidem non metet, sed parce metet: nempe qui metit, mercedem accipit, et scimus, quis promisit, ne eum quidem, qui pro nomine tuo calicem aquae frigidae dederit silitenti, mercede propria cariturum. Numquid tamen in qua mensura mensus fuerit, sibi quoque remetitur, aut in retributione aequabitur ei, qui non aquam porrigens, sed sanguinem fundens, propinatum sibi liberit calicem Salvatoris? ac si dicat: non aequabitur. Itaque fide catholica certum est, unicuique reddendum esse fructum gloriae iuxta qualitem operum, quae seminaverit. Inter haec autem opera illa praecipue, quae misericordiae sunt, Christus Dominus remuneranda praedixit: quid enim sibi volunt hae Christi sententiae: *Quisquis potum dederit vobis calicem aquae frigidae in nomine meo, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Quisquis unum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit, et quemcumque me suscepit, non me suscipit, sed eum, qui misit me. Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis, mihi fecistis*: tum alibi: *Cum facis convicium, voca pauperes, debiles, claudos, et cecos, et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuatur enim tibi in resurrectione iustorum*. Ac ne dubitemus huiusmodi retributionem, sive remunerationem,*

locupletissimam fore, mensuram, inquit, bonam, et conferentem, et coagulatam, et superfluentem dabant in sinum vestrum. Quare nullus ambigendi superest locus, quod huiusmodi promissiones, ordinariis Dei servis, sic etiam et multo quidem copiosius, in ipsa Dei parente, sortiantur effectum. Quae omnia illa opera misericordiae in propria persona Filii Dei exercuit humana carne induta. Unde s. Ildephonus (ser. 2. de assum.) praclare dicit: *Etsi impartit praemia iustus iudex Christus Dominus, secundum Apostolum, unicuique iuxta opera sua; huic tamen sacratissimae Virgini genitrici suae sicut incomparabile est, quod gessit, et ineffabile donum, quod percepit; ita est inaequantabile, atque incomprehensibile praemium et gloriae, non dico inter ceteras sacras Virgines, verum etiam ultra omnes sanctos quam promeruit. Quartam mensuram, eamque omnium notissimam iam apponit, claritatem scilicet, super ardentem in Deum amorem: est enim concors omnium theologorum sententia, iuxta magnitudinem charitatis conferri praemium gloriae. Beata autem Virgo ardentius omnibus sanctis Deum dilexit: etenim, si simul quate aeternus Pater genitrix in aeternitate Filium, continuo ab utriusque voluntate Spiritus sanctus processit, qui est infinitus, et reciprocos amor inter Patrem, et Filium; simili quadam proportione apte colligi puto, quod cum b. Virgo in tempore eandem Dei Filium non solum mente, sed etiam corpore, altero suo conceperit, ex tunc, ex voluntate Virginis ardentissimus in Deum amor processit, si non infinitus, ita tamen praecellens, ut in comparatione ardoris eius seraphinorum amor tepor esse videretur. Unde ne tam vehementes ardor illum adsumeret, Spiritus sancti umbratione eguit, illam refrigerante (Luc. 2): *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Quod perpendens d. Hieron. (ad Eustoch. serm. de assumpt.): *Puto, quod quicquid curas est, quicquid mentis, quicquid virtutis humanae, si totum adhibeas, non sufficiat, ut cogitare valeas, quanto indesinenter cremabatur ardore pii amoris, quantum movebatur repleta Spiritu sancto coelestium secretorum incantamentis. Quia etsi diligebat Christum ex toto corde, et tota anima, ex tota virtute, necis tamen quotidie inflammabatur praesentia absens desideriorum affectibus; tanto si quidem calidius, quanto divinis illustrabatur virtutibus visitationibus, quia totam releverat Spiritus sancti gratia, quam totam incanduerat divinus amor, ita ut in ea nihil esset mundanus quod violaret affectus, sed ardor continuus, et ebrietas perfusi amoris. Non solum autem arbitror Virginem in perfectione visionis beatificae singulos beatos, tam angelos quam puros homines excedere, sed etiam universos omnes simul sumptos, ita ut beatitudo Virginis comparata ad beatitudines omnium, quotquot Deo fruantur in unum acervum collectas, longo perfectionis Intervallo transcendat, ut tradit s. Bernardinus (l. 1. ser. 61): idque mihi non obscure docuisse videtur b. Laurentius Instil. (ser. de Assum.) dum ait: *Magnum recondit miraculum, fratres dilectissimi, fuit semper b. Virgo Maria. Quid namque illa maius, aut***

illustrius ullo unquam tempore inventum est, seu aliquando inveniri poterit? haec sola coelum, ac terram magnitudine superavit. Quidnam illa sanctius? non prophetae, non apostoli, non martyres, non patriarchae, non angeli, non throni, non dominationes, non seraphim, non cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res visibiles maius, aut excellentius inveniri potest. S. Ephrem (orat. de laud. Virg.) in hunc modum loquitur: Nulla comparatione omnibus superis exercitiis gloriosior, praestantissimum orbis terrae miraculum, omnium sanctorum corona ob fulgorem inaccessa. D. etiam Bonaventura (lib. de laud. Virg.) ex variis Patrum doctrinis docet Dei gloriam magis in sola Virgine, quam in ceteris Dei operibus, Christo semper excepto, emittere; quod utique verum non esset, nisi omnium bona et perfectiones gloriae in Virgine essent congregatae. Sed clarius omnibus hanc Virginis excellentiam tradidit expresse angelicus doctor d. Thom. (lib. de solennit. sanctor.) explicans illa verba (Ecl. 24): Quasi cedrus exaltata sum in Libano, ait: Per sex arbores, quibus comparatur exaltatio b. Virginis in ista epistola, intelligi possunt sex ordines beatorum. Cedrus significat angelos propter naturae sublimitatem. (Ecl. 31): Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiso Dei; id est, angeli non fuerunt sublimioris naturae luciferi. Cupressus significat patriarchas, et prophetas per odoris suavitatem: unde de uno dictum est (Gen. 27): Ecce odor filii mei sicut odor agrorum, cui benedixit Dominus. Palma significat apostolos propter gloriosum de universo mundo triumphum. Palma etiam significat victoriam (Apoc. 9): Et palmae in manibus eorum. Rosa significat martyres per effusionem sanguinis, qui habet colorem rubrum (Ecl. 39): Et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificat. Oliva significat confessores propter oleum (Psal. 51): Ego autem sicut oliva fructifera. Platanus significat virgines propter frigiditatem, libidinis incendium extinguentem: crescit enim iuxta aquas, in qua frigiditas notatur. Sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedit suavitatis, (Ecl. 24): Quanto subtilius, tanto melius est, et magis odoriferum, et per hoc intelligitur humilitas. Balsamum autem quanto gravioris, et ponderosius, tanto melius; unde probatur in aqua, et si cito descendat ad fundum, habetur probatum. Per hanc proprietatem potest intelligi gratias morum: haec autem duo dant odorem suavitatis. Est ergo sensus, quod Virgo est exaltata sicut angeli, patriarchae, et prophetae, apostoli, martyres, confessores, et virgines. Est liliolae, qui pauca dicit, significatque magna; fuit enim exaltata super choros angelorum, et super omnes sanctos: nec mirum, si est exaltata sicut angeli, patriarchae, etc. in carne enim esse, et secundum carnem non vivere, non terrena vita est, sed coelestis. Virginitas soror est angelorum. Habuit etiam meritum prophetiae prophetando (Luc. 1): Beatae me dicent omnes generationes. Vidit enim spiritu prophetico, et prophetavit, quod debet beatificari ab omnibus gentibus; et quod omnes gentes debebant recipere filium Dei: et suum habuit meritum apostolorum, et evangelistarum docen-

do. Multa enim scripta sunt, et praedicta, quae non poterunt sancti, nisi per revelationem eius scire, sicut de visitatione angeli in conceptione, et aliis pluribus. Habuit meritum confessorum devote Domino confitendo, (Luc. 1): Magnificat anima mea Dominum. Habuit meritum virginum, inchoando virginitatem, et conservando, (Luc. 1): Ingressus est angelus Gabriel ad Mariam Virginem: et sicut habuit meritum omnium, et amplius; ita congruum fuit, ut super omnes ponatur ordines coelestium; haec ille. Quorum compendium paucis verbis mihi fecisse videtur b. Laurentius Iustin. (serm. de assum.) dicens: Merito quidquid honoris, quidquid felicitatis habetur in singulis, totum abundabat in Virgine. Atque hinc est, quod b. H. dephonsus (sermo. 2. de assumpt.) praemium beatis. Virginis incomprehensibile appellavit: Sicut est, inquit, incomparabile, quod gessit, et ineffabile quod percipit; ita est incomprehensibile praemium gloriae quod meruit. Illud autem speciale valde prae ceteris omnibus aliis beatis habuit b. Virgo, quod eius beatitudo, non solum intensive, ut luciusque ostendimus, sed et extensive etiam, ut more scholasticorum theologorum loquar, omnium aliorum beatitudines in unum quoque collectas longe superavit. Videt enim in Verbo omnia quaecumque videt Deus scientia visionis, ut praeter moderniores doctores id asserentes docuit s. Germanus (sermo. de assumpt.) dicens: Spiritus tuus, o Maria, vivit in aeternum. Omnia observas, omnia intueris, et inspectio tua ad omnes se porrigit. Ratio etiam non parum constans id confirmat, quia ut d. Thomas docet (1. p. q. 12): Unusquisque beatus videt omnia, quae pertinent ad suum specialem statum. Cum autem b. Virgo non solum universalis domina, regina, et mater, sed singulari etiam modo fuerit cooperata Christo Domino ad omnium electorum salutem, Andrea Cretensi dicente: Sola praeter naturam fuit electa ad naturam renovandam: sola deservit opifici universae naturae; et ex alia parte cum omnia, teste d. Paulo, sint propter electos, tam naturalia, quam supernaturalia; consequens est, ad statum beatis. Virginis dixit spectare, quatenus sub Christo fuit, veluti universalis causa instrumentaria nostrae salutis illi coniunctissima, omnia in Verbo perlustrare, et clare videre. Scio ab his excipere Franciscum Suarez interiores animae Christi cogitationes, quas ait non videri a Virgine, quia cum illa, inquit, longe sit Christo inferior, tam dignitate, quam beatitudine, non deest, ut sine manifestatione, et consensu sui, omnes illius cogitationes, et interiores actus intueri possit. Sed non video necessitatem huius exceptionis: quia si Christus Dominus, ut ipse dixit, omnia quaecumque audit a Patre suo, nota fecit discipulis, nihil mirandum, si omnia aequa cordis sui nota faciat matri; nec id unquam contingit fieri absque consensu Christi Domini, sed ipso potius libentissime consentiente, ut gloria b. Virginis etiam extensive cumulatior sit; nec per hoc illa aequabitur gloriae illius, quia perfectiori lumine, et claritate, et intensius ipse videt Deum, et plura ex rebus possibili-

Ius in Verbo penetrat, quam mater; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA X.

De magnitudine gloriae accidentaliter Deiparae Virginis, ubi de percelebri pompa, dulci melodia, ac regio apparatu, quo assumpta fuit in coelum, disserimus.

Cum magnae matris Mariae pompam, et apparatus, quo ad aethereum thalamum de assumptionis suae evecta fuit, pro modo nostro, et rudi, ut aiunt, Minerva descriverimus, orationis materiam mutare placuit ab honore, et iubilo, quo filius prodigus in domum patris sui rediens, susceptus est. Etenim si argumentum a minori ad maius in eodem genere philosophi omnes firmum, ac solidum esse censere, non insipienter colligam. Si filius prodigus, qui, ut sacer Evangelista ait (Luc. 13), devoravit substantiam suam cum meretricibus, ingrediens domum patris sui, magno cum honore, et iubilo ab eo susceptus est; mater certe amatissima, quae nullam substantiam unquam dissipavit, sed sanguinis potius propriam substantiam ad formationem corporis Christi subministravit, coelestem filii anam ingrediens, ab eodem honorificentius suscepta merito censi debet.

Quatuor praecipue facta fuisse commemorat d. Lucas (c. 15) ad ingressum filii prodigi in domum patris sui. Primum: adfuit iubilis musicae, et chori: Audiebat symphoniam, et chorum. Secundum: pater filio ad se venienti obviam ixit, hilariter eum suscipiens: Accurrens cecidit super collum eius, et osculatus est eum. Tertium: pretiosis vestibus induit (Luc. 15): Cito proferte stolam primam, et induite illum. Ad lautum etiam convivium apud se consedere fecit: Manducamus, et epulemur. Quartam tandem, annulo manum eius exornavit: Date anulum in manu eius, et induite illum. Quatuor quae in conspectu seniorum sunt, tenentes cytharas suas cecinere cum omni fragore coeli, canticum novum, quem nemo potest dicere, nisi ipsi, qui hodie festivo veniunt obviam cum cytharis suis, ac laete in suo beato choro excipiunt Virginem, non qualemcumque, sed unam de numero prudentum, et primam omnium inter primas, quae vadit post a-

gnum proximior. Huius iubili egregiam reperio figuram (2. Reg. 6), ubi lego, quod David, et omnes filii Israel deducebant arcam testamenti Domini in iubilo, et in clangore buccinae, et quod omnis domus Israel psallebat, et iubilabat in omnibus lignis affabrefactis, et cytharis, et lyris, quibus triplex musices genus indicatur: triplex enim est sonus musicae. Primum, qui voce formatur, sicut in cantu, id quod exprimit, cum ait, in iubilo: nam iubilis artificiosa est modulatio. Secundus, qui fit cum flatu, id quod significat, cum ait, cum clangore, ut in buccina. Tertius tandem, qui ex pulsatione causatur, sicut in cythara; quod verba illa indicant: In omnibus lignis affabrefactis, et cytharis. Si ergo David, cum veterem illam arcam Domini, quae Mariae proculdubio typus erat, in meliorem domum vellet traducere, prae summo gaudio exsilivit, chorum psallentium, et cantantium instituit, variis hymnis, et instrumentis musices conceptam animo gaudium declaravit, omnemque Dei populum ad edenda laetitiae publicae signa ovantem secum deduxit; nonne credendum est, verum Davidem Christum Dominum non modo angulos, sed etiam coelites omnes invitasse, ut propenso, et ardenti studio, insmeta exultatione, ac singulari observantiae significatione illi obviam prodirent, quae Regis aeterni mater, eadem et coelorum regina imperii sui possessionem acceptura veniebat? Haec licet magna cum laetitia, tunc ovatione arca vetus ex domo Amandab deducta fuerit a rege David in eius civitatem, maiore laetitia cum tripudio, et triumpho nova Dei viventis mater ex hac mundi plaga ad felicitatis aeternae urbem translata est a Rege regni Iesu Christo. Cerne illic populum multum nimis, omnes electos ex Israel triginta millia confusisse ad eandem deducendam: hic multitudinem innumeratam video ex omnibus tribubus, gentibus, populis, et linguis, captivam illam, quam Christus duxit secum captivitatem, prodire in occursum reginae coelorum serenissimae. Video novo currui illam impositam hunc iugatu traduci: hanc manibus angelicis, ac dilecto suo innixam assumi: video Davidem ante veterem arcam subsistentem, et toto corde una cum septenis choris adiunctis choras ducentum. Illic despectui habet Michol: hic omnis Ecclesia sanctorum demirat Altissimum matri suae sanctissimae Virgini novenis choris angelorum circumdata praecedentem, atque tunc mihi videtur impletum illud, quod (2. Paralipom. 5) legitur, ubi postquam sacer Textus dixerat: David congregavit maiores natu Israel, et cunctos principes tribuum, et capita familiarum de filiis Israel in Hierusalem, et adducerent arcam foederis Domini: et postquam subiunxerat: Et intulerunt sacerdotes arcam foederis Domini in locum suum, id est ad oraculum templi, in sancta sanctorum super alas cherubin, hanc subscribit, quae ad concentum pertinent: Igitur cunctis pariter, et tubis, et voce, et cymbalis, et organis, et diversi generis musicorum concinentibus, et vocem in sublime tollentibus, longe sonitus audiebatur. Similia in introductione huius mysticae arcae in coelestem Hierusalem ac-